

mandaverimus. Quare placet et ex ordine locos comparare; et locos, quos sumserimus, egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis haerere possint. Nam imagines, sicut litterae, delentur, ubi nihil illis utimur: loci, tanquam cera, remanere debent. Et, ne forte in numero locorum falli possimus, quantum quemque locum placet notari: quod genus, si in quinto loco manum auream collocemus; et in decimo aliquem notum, cui praenomen sit Decimo: facile erit deinceps similes notas quinto quoque loco collocare. Item commodius est in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quod frequentia et obambulatio hominum conturbat et infirmat imaginum notas; solitudo conservat integras simulacrorum figuras. Praeterea dissimiles forma atque natura loci comparandi sunt, ut distinctio interlucere possit. Nam si quis multa intercolumnia sumserit, conturbabitur similitudine locorum, ut ignoret, quid quoque in loco collocarit. Jam et magnitudine modica locos habere oportet. Nam et praeter modum ampli vagas imagines reddunt; et nimis angusti saepe non videntur posse capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne aut occaescant tenebris imagines, aut splendore prae fulgeant. Intervalla locorum mediocria esse placet, fere paullo plus, aut minus pedum tricenum. Nam ut adspectus, ita cogitatio minus valet, sive nimis procul removeris, sive vehementer prope admoveris id, quod oportet videri. Sed quamquam facile est ei, qui paullo plura exploraverit, quamvis multos et idoneos locos comparare: tamen si quis ad ista satis idoneos invenire se non putabit, ipse sibi constituat, quam volet multos, licebit. Cogitatio enim quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cujusdam ad suum commodum et arbitrium fabricari et architectari. Quare licebit, si hac prompta copia contenti non erimus, nosmetipsos nobis cogitatione nostra regionem constituere, et idoneorum locorum commodissimam distinctionem comparare. De locis